





ANNUENTE NUMINE,  
*Gratiosissimæ Medicæ Facultatis*  
*consensu,*

DE

# TABACO,

In

*ALMA VIADRINA,*

PRÆSIDE

DN. BERNHARDO ALBINO,

Phil. & Med. Doct., Prof. Publ. Ordinario, Serenisf. atq;  
Potentisf. ELECTORIS BRANDENBURGICI  
Confiliario & Archiatro,

*Domino Mecenate, Patrono ac Præceptore*  
*æternum deſenerando,*

Ad diem XVIII. Mart. An. M DC XCV.

In AUDITORIO MAJORI  
diſputabit

*Horis antemeridianis*

JOHANNES THEOPHILUS LETSCHIUS,

Brega Sileſius,  
A. & R.

\*\*\*\*\*

*Fraucofurti ad Viadrum,*

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

1695

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY





THES. I.

**A** Deo nobis nostra displicere solent, ut statim atq; insolitum quidpiam ex alio orbe apportatur, licet sola novitatis specie se commendet, illa præ hoc contemnamus. Indigentia, luxuria, sive sanitati id prodesse credamus, ejus nulla satietas est, donec damno prudentiores facti, vel ad nauseam satiati, aut alio quodam de novo fascinati, non abstinemus modo, sed etiam in convivia delabamur, nullo quidem rei, sed nostro vitio, abusu optima quæq; pervertentes, dum sine discrimine, sine lege, sine modo iis nos obruimus verius, quam satiamus. Europæorum illa malacia est, cui nullum, nisi à solo tempore, remedium est. Videas enim idem illud communi suffragio reprobari, quod paulò ante generali applausu excipiebatur, ut, quod in tragædiis fieri asolet, in eodem teatro eadem personæ aliam agant fabulam, affectibusq; in contrarium versis, quod modo maximè cupiebant, impensè nolint. Ad exempla non dilabar, quæ oppido multa suppeterent, vel Tabacum, de quo in præsentiarum pauca quædam commentabor, loco aliorum esse poterit. Vix enim Americæ advena Europæ littora salutabat, quin hæc Sanam Sanctam Indorum advenisse sibi gratularetur, & sacram sanctamq; dici juberet. Studebant multi aliorum vota occupare, gloriam il-

lati remedii sibi tribuere, nomenq; de nomine dare, quos inter voti compos factus Johannes Nicotius Galliarum Regis in Lusitaniam Legatus, qui 1559. Ulyssopona Parisios Reginae misit, quo factum, ut adhuc hodie Nicotiana, vel herba Legati audiat. Gens verò Gallica, ut beneficio huic suum constaret pretium, Herbam Reginae, vel Medicæam, Catharinariam, quia Catharina Hebruriae Princeps nata erat, appellabat, tantoq; in pretio passim Gallis erat, ut Magna Galliae Prior magnam horti sui partem ea consererit, ut inde Magni Prioris herba dicta fuerit. Ut taceam, à Nuncio Apostolico, Cardinale à Sanctâ Cruce, qui ab Hispanis ad Italos miserat, herbam Sanctæ Crucis, à Tornaboniis, Alphonsò & Nicolao, Tornabonam dictam esse. Nec suos modo habuit encomiastes, quin & bene multos, qui illam vatiniانو profecuti sunt odio, quos inter Jacobus VI. Magnæ Britanniae Rex in illam calamum suum strinxit; dum Misocapnum suum his verbis finit. *Tandem igitur, O Cives, si quis pudor, rem insanam abjicite, ortam ex ignominia, receptam errore, frequentatam stultitia: unde & ira Numinis accenditur, corporis sanitas atteritur, res familiaris arroditur, dignitas gentis senescit domi, vilescit foris: rem visu turpem, olfactu insuavem, cerebro noxiam, pulmonibus damnosam: & si dicere liceat, atri fumi nebulis tartareos vapores proxime representantem.* Si augurio locus esset, occulto sensu filio à parricidis cum ipso supplicii die, tum in deductione ad tribunal sanguineum, illudum iri, dum in suo misocapno inter dedecora, & flagitia Tabacomaniae insignitas in Regem & Patriam nimis injurias recenset, præsensit. Amurathes IV. Turcarum Tyrannus, ne quis subditorum Tabacum sugeret, sub pœna capitis

pitis cavit, Rusforumque Imperator 1634. usum ejus publico mandato prohibuit: Refert etiam *Olearius* in der Moscovitischen Reise-Beschreibung/ virgis caesos, alas nasi dissectas, imo stygmate notatos fuisse tabacifugas *Lib. 3. c. 6 p. 107.* Subjungitq; Persæ Schach Abbas exemplū, qui ob violatū Tabaci interdictum militi & nasum & labia præscindi curavit, & venditorem mandati ignarum una cum Tabaco comburi voluit, *Lib. 5. c. 31.* In nonnullis Sveciæ locis prohibitum scribit D. Christ. Schorer *Bedencken vom Schlag p. m. 206.* Edicta Regia in agris Glocestrensisibus cum successu tentatam Tabaci culturam prohibuerunt, Excell. Dn. Becmannus *Geograph. c. 5. §. 4* qui etiam executionis testis αυδης fuit dum misso equitatu omnes planæ unguis equorum protererentur. Ut nihil dicam de iis, quæ inter Medicos disceptantur. Moderatiores alii fuerunt, qui Tabacum cum quadam indifferentia intuiti sunt; Inter quos, an recensere debeam argonautam famigeratissimum Franciscum Draeck, qui 1560. semen, & D. Watherum Raleghe, qui fumum, ex America reduces in Angliam intulere, penes te esto judicium, videntur enim illi retinuisse nomen Indorum, qui Pætum, vel Petum nominant, vel ab Insula Tabaco, in qua uber ejus proventus, nomen imposuisse. Germani Toback / Indianische Baumwolle / Indianisch. Wundkraut.

TH. II.

Variae sunt Tabaci species; latifolium, angustifolium, minus, minimum, *R. Dodonæus herb. part. 3. l. 14. 7. Rajus Hist. plant. lib. 14 cap 2.* Sed circa illos non morabor, saltem acturus de latifolia Nicotiana majore, C. B. P. 169. cujus fumus hodie pauperum tabernas Re-

gumq; tures implet, quæ est planta flore monopetalo uniformi, in vasculis conicis avellanæ vulgaris oblongæ majoribus, in binas partes dehiscentibus continens semen copiosum, minutum, rufescens, flore ex tubulo hirsuto longiore, herbæq; concolore, in latitudinem expanso, tandemq; in calathum explicato purpurascens, margine integro, foliis latis, longis, hirsutis, in mucronem abeuntibus, latis appendicibus cauli adnatis, crassis, molleculis, pingvibus, oleosis, ex herbido in luteum pallefcens, ad tactum glutinosus, saporis acris, pingvis, odoris virosi, & narcotici. Nec inquiram an sit pecten Dioscoridis, num sit Hyoscyami species, & recte Hyoscyamus peruvianus appelleretur, aut cum facie externa, & partium præcipuarum, floris puta & seminis, ejusq; conceptaculi figura ab eo distet, distinctaq;, & sui generis planta sit? Botanice illa relicturus.

### TH. III.

Quoad America nobis incognita fuit, apud Botanographos de Tabaco legitur nihil, postquam vero illa detecta, hoc spoliolum in Europam illatum est, ut quæ planta per omnes Indias occidentales jam ab antiquo tempore incolis in pretio habebatur, & illi inferviret; quæ in abusus & delicias eam statim adhibuit, ut Batavorum commercium multum augeretur, donec tandem per Europam passim fata fuerit, & jam undiq; læta germinet, videaturque domicilium mutasse, & ex America in Europam migrasse; Imò eo jam res rediit, ut orientem sive occidentem, totoque orbe remotas insulas spectes, jus indigenatus illa sibi acquisiverit: coli in Ceylonia Insula, & licet inibi pro vitio habeatur, eo tamen viros pariter ac mulieres



res uti, refert *Robert. Knox* *Ceylanische Reisebeschreibung* Lib. 1. cap. 2. & Lib. 3. cap. 8. Circa Persiæ urbem Bram-pour sitam inter Surattam & Agram tam magnus proventus est, ut propter ubertatem ejus certis annis non colligatur. *J. B. Tavernier* *Indianische Reise* lib. 2. c. 12. Persisq; in deliciis est, ut Ispahæ in Meydan pro cap-nophilis peculiaria sint cubicula, in quibus quotidie conveniant. *Idem* *Persianische Reisen* lib. 4. cap. 5. Notabile etiam est, quod Cha-Abas homini sibi calicem Tabaco tardius implenti, & quod ad festinandum urgeretur, sub murmuranti, linguam præscindi jusserit. *Id. lib. 5. c. 5.* Lenta sed crudeli morte perituris Persis vix gratius cardiacum fistula Tabaci exhibetur. *Id. Lib. 5. cap. 13.* Japones Tabaci fumo tantum non abuti memorat *Arn. Montanus* *Denckwürdige Gesandtschaften an den Kaiser zu Japan* p. m. 344. Hottentotti Tabacum nimium quantum amant, ut vix aliquid vendant, nisi auctuarii loco Tabacum accipiant. Imo ejus obrinendi ergo pudenda detegunt. *O. Dapper. Africa* p. m. 619. 622. 626. Hi porro Tabacum ab ungviculis, (nam octimestribus minores infantulos fumantes sæpenuero videre est) adeo enormiter appetunt, ut, ubi legibus servitioque soluti degunt, perpetuo servire tamen malunt, quam Tabaco egere, toto sæpe die pro exigua Nicotianæ herbæ portione ad nutum heri famulantes prodigi ac insatiabiles belluones. *W. Ten. Rbyn. de Picomont. bonæ spei* cap. 14. Serenissimus Angliæ Rex Jacobus jam suo tempore scripsit, esse in Anglia nonnullos, qui in expensi codicem quotannis referre soleant Tabaci pretium argenti uncias mille & sexcentas. Et quid multis, ut verbis Sereniss. Regis Jacobi utar: *Eo deven-tum est, ut vix hospitem sine Tabaco dapibile putemus exce-  
ptum;*

*ptum; sine Tabacco nec Medicina ulla valida est, nec sodaliti-um ullum suade. Quisquis in dicace Juvenum grege fuliginosam à se removet fistulam, quam forte latrina pejus oderit, homo illepidus, & ne teruncio quidem aestimetur. Humanitas Domina erga ministrum certissimo probatur indicio, si fumantem de manu fistulam misero porrexerit. Qui noster, qui universi orbis fere mos est.*

#### TH. IV.

Exoticæ herbæ dotes erant peregrinæ, & panacea erat contrariis etiam affectibus par. Argentæ calefacere, æstuantes refrigerare, vigilias & somnū procurare, sitim famemque fallere, & excitare credebatur, hinc factum, ut indomita licentia & inconsulto quibusvis ægri- tudinibus ad illam, prout fors ferebat, optato, vel infausto exitu iretur. Et cum nemini non tyrocinia essent molesta; & gravissima quandoque symptomata supervenirent, aliquid veneni alere credebatur. Priusquam enim Tabaco asvesciant, ebrii in vertiginem rapiuntur, enormiter vomunt, tremuli pedes manusq; officium non faciunt, titubat lingua, animo linquuntur, sudore frigido perfunduntur, terribili, nisi assiveto spectaculo. Ictericum ab inasveto Tabaci usu contractum, muscasq; in officinis juxta Tabacum mortuas observat *Petrus Borellus Histor. & observ. Med. Cent. 4. obs. 31.* Dormiens in cunis puerulus, cum dormienti fumus Tabaci in nares & os apertum insufflaretur, frequentissimis sternutationibus, convulsionibusq; exagitatus tandē horrendè mortuus est. *Eph. N. C. dec. 2. An. 6. app. obs. 56.* Duos fratres, quorum alter 17., 18. alter exhaustus fistulas, apoplecticorum instar prostratos, unumque

eo momento inortuum, alterum per bihorium, vel trihorium misere spirantem animam quoque exspirasse, refert *D. Helwigius obs. phys. Med. 45.* Nec fumum saltem adeo versipellem esse ut credas fidem facit *Observ. 206. E. N. C. dec. 2. a. 8.* ubi Materfamilias & bini liberi à prunis siccatis coctis, quibus per incuriam frustulum Tabaci admixtum fuerat, cordis anxietatibus, lipothymiis, vomitibus correpti animā agere visi sunt. A pulvere assumpto comā somnolentum, tandemq; apoplexia. *E. N. C. dec. 2. Ann. 8. obs. 131.* Imo exterius pro scabie capitis & profligandis pediculis illitus pulvis in tribus filiolis effecit, ut omnes in vertiginem & vomitiones enormes abriperentur, æstuarent, sudarent, animo linquerentur, *E. N. C. dec. 2. ann. 4. obs. 16. in fine.* Rem omnem dum medicum trutinō, medicamentorum & venenorum naturam expendo, tor occurrunt Phænomena, quæ me inducunt, ut Tabacum inter medicamenta venenosa reponerem, nisi salutare effectus funestis præponderarent, & durior nec usu receptus loquendi modus videretur, licet sano sensu interpretatū, nihil monstri alat. Acre sal Tabaco inest, multo humido glutinoso dilutum: Destillatum efficax oleum præbet, & in mutuos atqve amicos cum corporis nostri humoribus motus consentire nequit, ac proinde acredine solida nervorum filamenta vellicat, æthereqve suo peregrino, qui per ejus poros trajicit, fluida corporis turbat. Acredinem ex sapore non modo & acredine conjicias, sed ex violentis etiam vomitibus, aliisque convulsionibus. Mixturam sanguinis turbare, ut cætera taceam, ex observationibus Clarissimi *Joh. Jac. Harderi* constabit, quando in auriculis cor-

dis Ciconiæ, quam oleum Nicotianæ interemerat, sanguinem fluidum, quasi ipsomet illo oleo tinctum, & in cane molosso cor sanguine spumeo & florido, rubicundissimo, tenui, cum portione coagulata pauca & coloris saturari reperit *Observ. Anatom. pract. Obs. 1. & 7.* Nec aliud ex molesta salivatione l. c. collegeris. Fibræ corporis tenellæ perfacile convelluntur, & debiles humorum fermentationes oppido turbantur, qualia, si Tabacum offenderit, deleterium erit; Siminibus, pro roboris excessu æqualibus certabunt viribus, dubio sub initium conflictu, donec hospite excusso redeat ad præcordia virtus, dum interea temporis saburra humorum levatur corpus, nec unius forte generis fermentum è suo excluditur latibulo cum insigni sanitatis emolumento Ad pondus & mensuram hæc revocari nequeunt, cum indefinitis varient modis. Quotus enim quisque est, qui nesciat, plurimos Tabacifugas ultra viginti fistulas ascendere, cum tamen septendecim fratribus Hollandis apud Helwigium lethales fuerint, licet alius apud *Aug. Thonerum* præmio ducentorum thalerorum trecentas fistulas absorpserit *Observ. med. lib. 2. observ. 3.* Ex hoc fonte manat, quod duobus pullis gallinaceis per coxas trajectū filū oleo hoc inunctū brevissimo tempore fuerit exitiale, in tertio vero nullum futuræ mortis, ne morbi quidem indicium apparuerit, qui licet denuo fuerit vulneratus, atque sanguinolento vulnere aliquot guttulæ fuerint affusæ, nullum tamen à veneno ei allatum detrimentum, tantummodo laborare multum ac cruciari visus est: licetque tertia vice acu & filo in exitiosissimum hoc oleum immisissis sinistra coxa denuo vulneraretur, paucis elapsis

elapsis horis saltando & cantando se potius cibi desiderio, quam mortis metu teneri testatus est *Fr. Rhedi exper. nat. p. m. 9.*

## TH. V.

Is non sum, qui negare velim secum pugnantes Tabaci effectus è diversis speciebus provenire posse, & facile largior, maximam differentiam esse inter, Nicotianam Brasilianam, & illam, quæ ex Insula S. Christophori advehitur, nostramque diversos ab aliis Nicotianæ speciebus effectus producere, darique species, quæ nullum fere malum adferant, quod certissima experientia sibi constare scribit *Fr. Rhedi exper. nat. pag. 46.* Cum mihi per experientias in *Dn. Præfidiis* ædibus factas constet, oleum è Tabaco nostrate destillatum nec gallinam, nec columbam, licet utrique filum oleo insigniter madidum bis per crura trajectum fuerit, interemisse. Cum etiam cani molosso gladio ancipiti crus transfigeretur, & in vulnus oleum primo Tabaci instillaretur, deinde turunda eo imbuta intruderetur, egregie ille valebat, vulnus circa vesperam lambebat, & cum sequenti die olei hujus tabacini guttas duodecim cum pane devoraret, nec vomituriebat, nisi quod tranquillior videretur, & subinde tremere. Hoc tamen me dubiū reddit, quod in modo memoratis pullis duos facillimè interemerit, tertiam vero non potuerit unum idemque oleū; Nec dici potest, hoc factum fuisse, quod vulnus fuerit, vel in summa cute, vel locis minimè venosis ac arteriosis inflictū, vel olei minor quantitas sumpta, aut in alterius speciei animali experimentum fuerit factum; idem enim illud filum, quod priores interfecerat, pullo per coxam trajectum innoxie, & licet scal-

pello denuo sub ala dextra feriretur & aliquot olei guttulæ vulneri instillarentur, imò tertia vice acu & filo in exitiosissimum oleum immisso sinistra coxa vulneraretur, salvus tamen mansit. Quamvis igitur crediderim, circumstantias nonnullas, diversæque speciei animalia variare effectum posse; illud tamen constat, unum idemque oleum in ejusdem speciei animalibus lethiferum & innocuum esse, cujus effectus diversitas in animalibus quærenda est.

#### TH. VI.

Prima corporum elementa si excipias, perfectè solidum, & quod poros non habeat, nullum invenies corpus, differunt saltem ut plus & minus pro texture raritate, quæ, quoad manet, licet divisum sensus nostras subterfugiat, vel ipsam imaginationem fatiget, retinet illos, donec omnimode discerptum in prima redeat elementa. Quantulæ parvitaris illi sint, quoad pori sunt, extensi sunt, suæque extensionis habent terminos, qui inter se magnitudinem sive, sive figuram spectes, modis differunt indefinitis, quas differentias nullo ingenio humano determinari posse certo persuasus sum, sed inveniet hic omnis posteritas, quo suam delasset industriam. Quantilli verò sint, suam non modo constanter singularem retinent figuram, sed fluido multum subtiliori repleri debent. Fluido dico subtiliori, nisi enim tale foret, in iis hæreret, porosque obstiparet totos, hinc alia foret corporis textura, & aliud à seipso corpus, & si in totum non obturaret illos, quæ relinquerentur interstitia, replenda, forent à fluido tantum subtiliori, quantum in minimis poris à corpusculo hærente minora forent interstitiola. Cum verò in minimis natura non alia sit atque  
in

in maximis, & pondere & mensura omnia agat, singuli poritotidē sunt catarrhaetæ, quarum angustias subtilissimum transfretat fluidum, quæq; pro situ, quem habent, flumen diversimodè temperant, ut in mutuos abeat motus, impetuq; aucto ex omnibus superficiei poris torrentis instar erumpat, & contigua longe removeat corpora, vel sibi occurrat, retroactisq; fluctibus dubias agat undas, aut in minores vel majores, pauciores vel plures contorqueatur vortices, vel ex certis corporum punctis egrediatur, & in adjacentibus sibi viam parat, donec retroactum pristinas invisere sedes cogatur, vel blandioris auræ afflatus instar conterminos placide subeat poros; & quis omnia determinaret, vel illorum, quæ modo dicta sunt, differentias comprehenderet? Aliquid horum in minimis obtinet corpusculis, quorum plurima, si ita inter se contemperentur, ut alia aliarum recipiant fluidum, se sustinebunt mutuo, & heterrhogeneæ, quoad cætera, particulae uniforme dabunt liquidum, donec tales admisceantur atomi, quæ fluidum id suis non excipiant poris & quorum vicissim refugiunt priores, ut dum in visceribus suis pugnant, prior harmonia destruat, & liquidi mixtura turbetur. Quæ singula, si sanguini, reliquisque corporum humoribus applicentur, memorata & memoranda à Tabaco oriunda, phænomena, è fontibus his elucidabuntur facile.

## TH. VII.

Heterrhogeneæ, quæ sanguinem cum humoribus constituunt, particulae, sexcentum sunt, sed omnes in eosdem consentiunt motus, nec, quoad in vasis caluerint, secedunt ab invicem, sed se mutuo sustinent & impellunt, minusque obsequentes successivè per e-

munctoria corporis expellunt, ut quantum ad crassio-  
rem sensum homogeneus esse videatur, quæ mix-  
tura cum vita vel sanitate pari ambulat passu. Nec  
tamen eadem est in omnibus, quæ vivunt, animanti-  
bus, sed non modo in diversis speciebus, quin ejusdem  
speciei individuus diversa est. Qui sub alio calent so-  
le, vel quorum terris perpetuum incumbit frigus, qui  
aliud vitæ genus trahunt, aut qui ab utero minus be-  
nignam experti naturam, exempla erunt omni ex-  
ceptione majora: & in quantum diæta ejusdem indi-  
vidui temperiem mutare possit, in scholis medicis no-  
tissimum est. Ut non mirer hujus mixturam ab hac,  
non alia re; alterius vero ab illa, non hac; ejusdem imo  
individui humores ab eo jam turbari, quod olim fa-  
cile ferebat. Exoticum Tabacum, quod sub alio  
sole incaluit, ab alia terra nutritum, ad nostras oras  
advectum, quod nostræ corporis constitutioni non a-  
deo congruat, minime miror. Obrinet enim ut plu-  
rimum, ut domestica nobis cæteris paribus magis  
convenient, & alterius cœli venena in nostro cœlo  
cicurentur. Peregrinus æther Tabaci cum nostris  
efficacius, quam cum conterraneorum suorum hu-  
moribus confligit; hinc leges per omnes fere Indias  
occidentales hanc herbam antiquitus incolis ipsis in  
pretio habitam ad vulnera imprimis curanda ap. *G. Pi-  
sonem Hist. nat. & Med. lib. 4. cap. 43.* Venenis & toxi-  
co perniciosissimo, quo Cannibales suas sagittas illi-  
nunt, efficaciter valde resistere, carbunculos curare,  
vulnera antiqva, cancrofa licet, carne replere, re-  
centia statim curare apud *Job. Fragosum in Histor. arom.  
&c. cap. 30.* lege. In nostris autem terris vix inspersus  
vulneri pulvis ægrum ad enormem vomitum concita-  
vit



vit E. N. C. Dec. 2. Ann. 2. Obs. 108. litus externos supra & infra purgare, & unguenta ad scabiem ex Nicotiana & butyro insignes præcordiorum anxietates, vomitus, & copiosos secessus excitasse. Ettmüllerus observavit. Annotat J. F. Viganì oleum Tabaci quibusdam animalibus, præsertim felibus maxime noxium, idque venenum interdum superare omnem medelæ vim, prout ex hoc vel illo loco transportatur Tabacum in chym. p. m. 28. Incisam semel à se cutem in canis crure, in eamque immissam turundam nicotianæ oleo imbutam paulo post valde laboriosè *ἀνα γὰρ νάρκω* purgatum vidit Nic. Lemery *curf. chym. cap. 14 part. 2.* Eodè oleo Ranarum dorsis illito mox illæ inflari, oculi mire contorqueri, artus obrigere, & motus tremuli per totum corpus observari cæperunt, subsequente morte: serpentis vero illito dorso, licet cum corporis langvore motus convulsivi subsequerentur, admotam tamen aquæ bibit, & ad se rediit. Limaces vero citra ullum effectum inunctos, & acu oleo infecta sine ulla noxâ punctos, lege sis apud Job. Jac. Harderum in *Apiario obs. 3. 5. & 6.* Quorum omnium rationes ex supra dictis perfacile erues.

## TH. VIII.

Mechanica licet, à sensibus tamen nimis remota hæc videbuntur, adeoque ad sensualia principia revocanda, presciusque determinandum, ad quam corpusculorum nobis notorum classem pertineant. Quo sine considerans symptomata hausto Tobacco supervenientia quam proxime venenis viperarum & cicutæ accedunt. Motus epilepticos, angores, vomitus, & reliquos ut ræeam, & sanguinem saltem considerem, conspectus est ille in columbæ, quam viperæ moriis

morsus peremerat, corde, summe tenuis & acris, of-  
 fensusq; talis in vasis majoribus, venis æque ac arte-  
 riis: in cane ad aspectum grumosus, fluidus tamen.  
 In cane à cicutæ terrestris succo mortuo cordis tha-  
 lamus ad attractum molleculus sangvinem fluidum,  
 subatrū continuit: ex altero ventriculo fluidus sangvis  
 profiliit, salivarunt etiam testibus Harderianis obser-  
 vationibus, qvi naturam liqvoris viperini alcalinam  
 acerrimam esse, tum ex sangvinis fusione & tenuita-  
 te, aliisq; sibi persuadet. *Nec obstat, ait, magnoperè quod  
 in cane altero sangvis circa præcordia coagulatus fuit; lentio  
 enim in illo labes nociva serpsit, inq; parte ipsa, fluidum fun-  
 dendo acrimoniam suam prodidisse verosimile fit: Quis autem  
 non novit, sangvinis crasi ita dejecta, dum hæc summam  
 fluiditatem induit, alibi sæpenumero coagulari?* in Schol. ad  
 Observ. 23. Præter Phænomenum similitudinem alcali-  
 næ naturæ Tabacum esse persuadeor, qvia sal alcali  
 sangvini ex venis extracto additum plus feri ab eo  
 sepatet; in venas vero si injiciatur, sangvis circa cor  
 spumescat. *Anton. de Heide obs. anat. chirurg. 11. Affu-  
 sum vidi tum aquæ Tabaci destillatæ, tum ejus in  
 fusioni, spiritui & oleo syrupum violarum, qvi ex  
 cœruleo egregie virescebat Deprehendi vero, inquit R.  
 Boyle, non modo volatilia salia omnium substantiarum ani-  
 malium, quibus quidem ego fui usus, uti sunt Spiritus C. C.  
 urine, Ammoniaci, sangvinis &c. sed etiam omnia salia  
 alcalisata, quæ adhibui, uti solutio salis Tartari, cinerum  
 clavellatorum, communium cinerum lignariorum, Aqua cal-  
 vis vidæ &c. protinus syrupum cœruleum in omnino viridem  
 mutare, de coloribus exper. 20. annot. Sangvis tenuis, flo-  
 ridus, rubicundissimus, quem in cane molosso à Ta-  
 baco interempto repertum, Thesi quarta diximus,  
 alca-*

alcalinam arguit naturam; acida enim sanguinis è vasis extracti coccineum in obscurum luteumq; urinosos ammoniaci spiritus vero nigram, infimamque portionis humani sanguinis partem inversam distocitius in jucundum rubrum, sales lixivos nigræ quoque superficiei in rubrum, licet non adeo floridum nec jucundum mutare colores expertus est. *R. Boyle in append. ad apparat. Histor. human. sanguin. exp. 7. & 8.* Volatilitatem & acrimoniam gustus cum olfactu testantur.

TH. IX.

Intra corpus proinde receptum Tabacum pro ea, qua pollet subtilitate, non saltem cum sanguine, & humoribus quaqua versus movetur, sed etiam omnes pororum anfractus pervadit, eoque modo nescio quæ non primo intuitu terribilia symptomata inducit. Statim atque aura Tabaci sanguinem pervadit, ejus augetur motus, minimaque concutiuntur; illud volatile ejus, hoc vero æther, quem secum vehit, præstant; interea ab acredine salis vellicatæ fibræ successivè convelluntur. Eo modo ejiciuntur plures in cerebrū spiritus, & quidem cum impetu majori, quam ad functiones animales requiruntur, ut nec regi, nec ex voluntate determinari possint; in nervos, prout fors fert, ruunt, musculos contrahendos extendunt sine ordine, sine lege, vacillant pedes, tremunt manus, lingua balbutit. Hos inter tumultus tumultuarie vestigia rerum aperiuntur, menti sistuntur, ea dum connectit, quadrata miscet rotundis, loquiturque delira. Crassiuscula eo impetu protrusa nervorum tubulos intrare non valentia retroacta aguntur in orbem vertiginis sensu. Concitari sanguinem ad

C

rapidos

rapidos motus testantur, quod ventre ranarum aperto cor diu adhuc pulsaverit, motu systoles ac diastoles admodum conspicuo; serpentis, qui prorsus obriguerat, cor adhuc dum pulsitaverit; canis molossus palpitatione vehementissima prehensus fuerit, adeo, ut fortissima istæ pulsatio instar aquarum undulantium, & per diversa loca subito irruentium ab adstantibus commode fuerit audita, vid. sæpe laudatæ *Observat. Harderiane*. In iis hæc obveniunt, quibus potentes obrigere fermentationes; at si minus valentes illæ sint, nimium quantum ab æthere peregrino mixtura sanguinis turbatur, sufflaminantur spiritus & lipothymia sequuntur terribiles, humoresque in suo motu turbati, impediti & tardiores facti propter partium solidarum convulsiones conqvasati in spumam abeunt, vel poris cutaneis expressi madore frigido artus perfundunt. Convulsiones à sale acriori factæ pro partium, in quibus sunt, diversitate, symptomata spasmodorum, cordis palpitationum, vomituum &c. ostendunt.

## TH. X.

Excellentissimas Tabaci vires expressurus G. Piso: *Non immerito, ait, Nicotiana herba sancta à Lusitanis appellatur. Equidem, si quis universam vegetabilium naturam penitus inspiciat, vix credo, veterem orbem aliquas plantas tribus nostris nobilissimis Americanis polychrestis dignitate pares producere: Tertioq; loco Petum recenset, quod quantum alimentosa qualitate reliquis duabus, Palmæ videlicet & Mandiocæ cedat, tantum medicamentosis viribus facile superet, cujusq; varias & discrepantes operationes haud adeo facile esset recensere subjungit. Quod ut distinctè fiat, cum adhibendi modus*  
rem

rem multum variet, eos ordine recensebo, quid emolumentum, vel damni quivis secum ferat, annotaturus. Frequentissimus usus in fumo est; quem fumandi modum non Indis, sed Europæis acceptum fert modo laudatus Piso; Ad vulnera enim Indis tantum in pretio fuisse scribit. Europæos verò ejus conscios factos, ultioresq; virtutes indagantes, primo recentia folia, eorumq; succum in varios usus humanos; mox siccata in abusus & delicias applicasse, adeo, ut nunc tanquam hybernus flatus fumus Tabaci universum orbem infecerit. Vix tamen persuadeor ut hoc credam, cum Gvalterus Raleghe ex America, ubi servos & mancipia ad somnum conciliandum eo usos observavit, redux usum fumi primus in Angliam intulisse dicitur. *J. Rajus Histor. plant. lib. 14. c. 2* Et Serenif. Angliæ Rex, ignoti orbis nuncium cum tribus barbaris, & barbaræ hujus mercis disciplina in Angliam appulisse, in Misocapno suo edicat. Eoq; abutantur Sacerdotes Indici ad edendas divinationes & prædicendos rerum eventus, vulgus etiam ad videnda varia in insomniis accepto fumo eorum per os utatur. *J. Fragosus med. Ind. hist. c. 30.* imo in rebus alicujus momenti Buhitum, ita sacrificulos appellant, re exposita disertis verbis rogent, ut futurum rei eventum virtute solis per Tabacum sibi aperiret, & quid arcani fata sibi aservarent, fumi beneficio arbitraretur. Sacrificos etiam Mexicanos hausto Tabaci fumo coram idolo ad orientalem templi faciem, conversos sopore altissimo correptos Deorum responsa dare *Ch. Magnenus de Tabaco exerc. 6. p. 81.* testetur; & *F. Lopez. de Gomara* Europæos sub initium abhorruisse, & nonneminem in annonæ defectu primum svasu

Indorum ejus fecisse periculum, aliisque ejusdem rei autorem fuisse, in *Hist. Ind. occid.* disertis verbis dicat.

## T H. XI.

Indis solenne fuisse Tabaci exsiccati folium in palmæ folium convolutæ indere, alteram extremitatem accendere, ex altera vero fumum egredientem aperto ore, & naribus accipere legitur apud *R. Dodonæum herb. part. 3. lib. 14. cap. 22.* vel corniculis parvis de collo pendentibus, quibus Tabacum in globos contortum, inferunt, uti *E. N. C. dec. 2. A. 2. obs. 171.* Qvi modi forsan antiquitus obtinuerunt, cum Virginie incolæ ante adventum Anglorum sibi tubulos è creta figulari fecisse, memoret *H. Mundius Oper. Med. Phys. in coroll. de parergis in victu*, qvi usus adhuc dum inter Europæos obtinet, qvi longiores & breviores sunt, ut fumantes eos habere amant. Turcæ longissimas tum ligneas tum coriaceas & has quidem flexiles, cum capite cretaceo, vel è terra sigillata facto, habent, ut longitudine calorem fumi temperent: Cum vero oleum fœtidum saporis admodum ingrati sit, id dederunt operam, ut eo separato solum sal volatile linguam faucesq; velliret, quo fine calicis infernæ parti ampulla adstat in illum hians, inferiusq; in exiguum foramen desinens, ut, dum sal volatile præterlabitur, oleum ad latera descendat, & exstillet, *Barner. Chym. ration. p. 334.* Alii duobus circiter digitis transversis retro receptaculum infundibulū anglicanum frangunt, utriq; extremitati pyxididis lignæ excavatæ medietatem, ut jungi & de novo ab invicem abduci possint, firmiter adjungunt, pyxidi spongiam recentem parumper humectatam pyxidem implentem imponunt, junctisq; pyxididis extremitatibus fumum poros humectatæ spongiæ transeuntem,

cuntem, ab oleo suo fœtido liberatum & calore temperatum more solito hauriunt. *E. N. C. dec. 2. A. 3. obs. 27.* Brasilienses & Virginiani vas fictile aqua odorata calida replent ad medietatem, cui latioris orificii tubus aquam subiens inseritur, spatium aquæ vacuum alium recipit tubulum, omnibusq; accurate clausis, accenso in latioris orificii tubo Tabaco, suctum aeris sequitur per aquam fumus ab oleo suo nimioq; calore liberatus aliquid svaveolentis secum retinens. Persarum mos in substantialibus idem est, saltemqve in paucis variat circumstantiis. *E. N. C. dec. 2. Ann. 9. in paxerg. ad dec. 2. an. 8. ad obs. 27. Et eousq; progressus est luxus, inquit Fr. Rhedi, ut ingeniosam facillimamq; rationem invenerint, deducendi hunc fumum per caniculos sub nive sepultos, ex quibus usq; ad o gelidus prodit, ut nihil cause sit, cur frigidiori aqviloni invidet. Exper. nat. p. m. 49.* Temperant alii fumi odorem, atq; acredinem tum gummi Benzoe, tum Chaquerille cortice admixtis, ut utroq; magis placeat.

## TH. XII.

Fumus Tabaci ore sumptus non totus rursus efflatur, sed plurimæ particule cum aere pulmones subeunt, & eorum cellulas subintrant (videas enim tabacifugarum pulmones ut plurimum nigricantes) sanguinique ad sinistram cordis thalamum ituro admiscuntur, dum aliæ salivæ admixtæ una cumea in ventriculum & intestina detruduntur, & reliquæ fumi reliquæ totum circumstant corpus, aeris ambientis non minimam constituent partem, atqve ita sanguini & humoribus admiscuntur, & cum iis ad quosvis corporis recessus eunt. Admixtum sal volatile acidam corrigit acrimoniam, viscidumq; incidit & attenuat, motum intestinum minimorum immutat, eaq; quæ in

eum consentire nequeunt, eicit, obstructa referat, succorumq; interceptum restaurat circulum, à quibus omnibus cum vita & sanitas hominum dependeat, nemo non, quam salubris herba Tabacum sit, videt. Fundamenta scorbuti, quæ lerna malorum est, concutit. Tale enim quid ad illū averruncandum requiritur, quod perpetuo cū illo confligat, sine nausea assumatur, longe remotos canales adeat, salia corrigat, pituitam incidat, obstructions deobstruat, diætæque errores, qui continuo subnascuntur, in ipso ortu præcidat. In ipso limine vix primis gustatus labris illum aggreditur, dum dentibus atque gingivis ab eo impressam labem emendat, exesa atque cariota in integrum restituit, causas dolorum tollit, natasq; odontalgias, paralyfin linguæ, sitim curat, glandulas linguæ aperit, & gustum excitat. Uvulam relaxatam, tonsillas tumidas corrigit, vasa salivalia, palatarumq; glandularum excretoria aperit, Salivæ proventum auget, ut interiora faucium humectentur, & molesta sitis cesset. Salivæ vehiculo in stomachum descendit, ab acido & viscido oriundis malis lethale est, anorexiam, nimiumque præscindit appetitum, ciborum digestionem promovet, alvum sollicitat, vermes necat, colicas, diarrheas, dysenterias præcavet. Pulmões ingressum in bronchiis hærens viscidum resolvit, & ad expectorationem aptum reddit, & astmatis, dyspnœæ, orthopnœæ, averruncus est. In sanguine fermentationes accendit, circulum promovet, spirituum proventum auget, & lassitudines atque somnolentias tollit, acidum ejus infringendo, & obstructions vel tollendo, vel præcavendo, arthriti, malo hypochondriaco, cachexiæ, partiumque doloribus medetur. Si nimi-



um fuerit obesum corpus, abradendo emaciat, aut acidum infringendo, ut pingvescat, efficit, in aliis ad utrumque indifferens est. Ut taceam fumum extrinsecus in ophthalmiis, catarrhis, auditus difficultatibus celebrẽm esse. Per totam Indiam euporiston mulierularum antihystericum est, & quam efficaciter immanes hystericos cruciatus represerit, vide sis in E. N. C. det. 2. Ann. 2. obs. 7. Quantum in peste valeat edocet J. de Diemerbroeck. inquiens, *Nam, ut verum fatear, Tabacum pro primario preservative in peste semper habui, & revera tale esse, non sola ratione ductus; sed experientia edoculus comperi: neq. aliud melius pro ordinario usu hactenus inventum fuisse existimo: De Peste lib. 2. cap. 12. addit de- niq; J. v. Beverovicus sibi à fide dignis relatum esse, in peste Londinensi ædes, in quibus Tabacum præparatur, à peste plenarie fuisse immunes. Schat der Gesont- heyt cap. 20. lib. 3.*

## TH. XIII.

Videbor forsã nimius in decantandis Tabacũ laudibus esse, & communem errorem errare eorum, qui cum de re aliqua scribere præsumunt, vituperiũ vel laudis nesciunt modum, huic omne bonum vel malum, licet inter aliquot unciarum pondo pauca modo grana lateant, tribuunt. Diffiteri nemo potest, Tabacũ suos habere nævos, nec mihi aliisq; pluribus persvadebit C. Bonteeckoe van Menschen Leven part. 3. §. 43. optimum moschum & ambraẽ redolere, omnibusq; rebus odoriferis præcellere; nimis obæse naris sum, quam ut hæc credam; male olet, anima foetet, ut odorem cloacæ facilius feras, quam à pridiano fumo male olentes. Alia longe mens Serenis. Regis Jacobi scribentis fuit: *Quod si olim putore Tobiani piscis, sic Tobacci nido-*  
re,

re, (nam nihilo mitius olet,) Diabolus posset in fugam conjici, nihil miraculorum mangonibus ad exorcismos naturarum creasset valentius. Sed quisq; suo sensu abundat, nec de sapore, vel odore disputandum est. Quis enim cum Hottentottis animalium excrementis vesceretur? Quis Aro delectaretur? *W. Ten. Rhync de prom. bon. s. f. cap. 16.* Hic moschum deperit, quem alius averfatur. Cerebrum nimium exficcare, & atris fuliginibus calvariam denigrare Tabaci opprobrium est. *Audivi, scribit Caspar Hoffmannus de Medic. officin. lib. 2. cap. 111. à militibus in Belgio versatis, vidisse se dissecta capita eorum, quibus patera cerebri tota interius esset nigra, licet à carnifice interiussent. Audivi à Patricio Norico, qui in superioriori bello Bohemico vidit omnes, qui in conflictu cum hostibus interierunt Anglos, habere talia capita:* Hisce subjungit, quod D. Boucheret Pharmacop. Londinensis idem sibi affirmaverit. *J. Raj. Hist. plant. lib. 14. cap. 2.* Ut taceam experientiam, quam prætexunt Pauw. & Falcoburgius citatam apud *J. C. Magnenum de Tabaco exerc. 6. §. 14.* De Medico Electorali memorat *A. Thonerus Epist. Med. Phil. lib. 6. epist. 15.* qui tanta Tabacomannia laboravit, ut Electorisæ fætorem averfanti, ut sibi imposterum temperaret, roganti, malle se sua functione, & mille Thalerorum annuo stipendio carere, quam ab illius usu abstineret, responderit, quod in ejus capite aperto tota cerebri substantia adeo exficcata reperta fuerit, ut vix nucis magnitudinem æqvaret. Quod cerebri exficcationem attinet, illam non possum diffiteri; Sal enim volatile tanta copia introsumptū omnino exficcat, proinde etiam ad humiditates cerebri commendatur; sed in tantum exficcare posse hætenus non credo, maxime, cum Venerando Seni impositum

positum fuisse à Medicis Electoralibus cubiculariis, ac cerebrum sectione sanissimum repertum fuisse intellexerit. *J. J. Wepferus in disert. subnexa observ. 129. Ann. 3. Dec. 1. E. N. C.* Sed quid de atris fuliginibus non in uno, sed in centenis cadaveribus repertis? Auritus testis est Hoffmannus, fidesque referentium merito suspecta, quod nullæ viæ sint, & tale quid à nemine recentiorum anatomicorum observetur, quin potius contrarium testetur *Th. Bartholinus*, cui nulla noxa nigrorisve nullum vestigium in cerebro apparuit, quantum nimia suctione is homo apud plurimos innotuerit, *Hist. anat. cent. 1. observ. 5.* Idem cum Elector Bavarie Maximilianus suspicaretur, cujusdam Consiliarii sui Tabaco usi & fere abusi caput explorare mandavit, quod una cum cerebro & membranis sartum tectumque sine omni noxa inventum est, *W. Hoferus in Herc. med. lib. 1. cap. 5.* In Pauwii homine morbi potius, quam fumi vitium fuisse, cum *Th. Bartholino Act. Med. Hassn. Vol. 1. obs. 21.* suspicor.

## TH. XIV.

Alia plane res est cum pulmonibus, quos immediate olida Tabaci aura afflat, & fuligo tingit: reperiuntur illi toto die atris, exiguisque sæpe ulcusculis pleni. Nec ventriculi alia fors. Quod in pulmonibus aer, hic saliva præstat. Omnium loco sit observatio *Th. Kerckringii*, qui Tobaccomanici postquam secuisset corpus, scite ait: *Quid viderim, quæris? Domum mihi intrare visus sum vere Plutonium: ecce tibi in foribus atro colore tincta, & quasi venenato succe imbuta intumuerat lingua. Quid trachea? Camino similis nigra fuligine undiq; obducta. Pulmones aridi, exsuccis, & pene friabiles: hepar tanquam præcæteris traxisset incendium, totum erat inflammatum, à cujus*

*flammis ne bilis quidem in cystide sua immunis erat: colorem enim contraxerat ex purpureo virescentem. Ad intestina vero, ut sunt corporis saburra, confluxerant totius adustionis carbones: pleni etenim erant nigricante materia, quæ non mitiorem ipso averno spirabat odorem. Obs. anat. 90. Quadrant optime, quæ hoc sine J. J. Harderus scribit: Notatu sane dignissimum est, quod ex crebriore Nicotiana fumo asthma & phthisin subsecutam fuisse Præctici animadverterunt, à particulis nempe nocivis in inspiratione immediate aspera arteria hujusq; expansionibus communicatis, à quibus corrugantur, & quasi exsiccantur membranacea vesicula, aridique fiunt pulmones, quorum officii defectum graviter luit postmodum universa humoralis massa: à saliva quoque copiose profluente, aut inerti reddita ex spirituum defectu, fomento in cibi concoctione necessario ventriculus destituitur, quin imo materia mensurari hujus idonea identidem decedit, unde minuitur appetitus, leditur πένις; aliæq; innumera in corpus mala redundant; in Apiario observ. 43. schol. Eo nempe res omnis redit, ut modus in rebus servetur, ususq; Tabaci constitutioni corporis adæquetur: Hoc enim nisi fiat, actum erit de sanitate. Ex hoc fonte dentis sapientiæ ortū nimio Tabaci usui tribuit P. Borellus observ. rar. cent. 3. obs. 13. cum aliàs per experientiã constat, præmaturam dentium suorum jacturam pati, qui Tabaci fumo nimium indulgent. Epilepsiam à Tabaci fumo ortam, duobus exemplis E. N. C. dec. 2. a. 7. obs. 196. à clysteribus verò tabaccinis curatam dec. 2. a. 3. obs. 51. docetur. Vidit in astmate à causâ frigida, substantia & bronchiis obstructis, quod Tabaci fumus per multos dies sumptus non tantum ab accessione liberaverit, sed etiam mirè præservaverit. Casp. Tald. de Hæred. illustr. & obs. med. num. 15. Vidit tamen etiam J. Beverovicus virum, qui diu die-  
 tima*

rim 20. fistulas fuxit, qui tamen suppressa respiracione à phlegmatibus suffocatus est: *Schat der Gesundheit. c. 20. lib. 3.* Qui teneram naturam habent constitutionem pulmonum, sanguinem salinovolatilem, ex succu cor-  
pus, contrarium sæpe à Tabaco experiuntur effectum, quam pituitosi, scorbutici, & qui firma præditi sunt partium compage. Cum diæta variant Tabaci effectus. Multa millia in diuturno Germaniæ bello Tabaco conservata, miseros hoc in annonæ penuria cibatos milites, in aeris intemperie conservatos incolumes, aquas sive putridas, sive turbidas redditas salubriores, concoctionem noxiorum ciborum adjunctam non absq; ratione, ait *W. Hoferus Herc. med. lib. 1. cap. 5.* Sed inter vina spirituososq; liqvores, aromatibusqve optimè conditos cibos ad exemplum eorum uti velle, non conservare sanitatem, sed destruere esset, adeo, ut remedium hoc magnifice prodesse & nocere queat.

TH. XV.

Occurrunt in corporibus circumstantiæ; propter quas ab eadem licet causa contrarii fiunt effectus; ad quã classem refero illam à capnophilis Tabaco tributã vim sitim famemq; sedandi, & excitandi. Sedat famem, cum uber salivæ proventus paucum ventriculi fermentum diluit, involvitq; nimis; aut si id acidiusculum fuerit, à sale Tabaci volatili infringitur, ut non amplius vellicet: sedat sitim aperiendo vasorum salivalium oscula, ut tanto liberius salivam, à sale acri simul irritatis glandulis, plorent, faucesq; humectent. Notabilior erit ille effectus, quando Indi testas cochlearum calcis modo comminutas tritasq; cum parte anatica Tabaci foliorum in pilulas redigunt, quibus ore detentis per deserta sine famis sitisq; sensu aliquot die-

dierum iter conficiunt, quia præter copiosam salivam, atque sal Tabaci volatile, ejus adest viscidum, quod fermenti particulas involvit, quas simul calx potenter absorbet. Appetitum provocat, cum ventriculi tubuli à tenacibus humoribus sunt obsesi, vel in iis fermentum sepultum latet, diluitur pituita à saliva, salia resolvuntur & agunt, aperiuntur à sale volatili excretoria vascula, contrario plane effectu, uti quandoque videmus cum cibo sumpto crescere appetitum; ut non dicam, quandoque volatile deesse in fermento, quandoque abundare in eo, cumque ejus vis in legitima proportione consistat prout disproportionem tollit, modo tollit, modo facit appetitum. Nimia salivæ exspuitio hic multum contribuere poterit, ut alias taceam circumstantias, ad quas illi, qui de hac re aliquid decernere satagunt, in quolibet individuo attendere debent.

#### TH. XVI.

Confectarium horum est, nec omnibus, nec semper Tabacum conducere. Sunt enim nonnulli, qui usui ejus nullo modo asseverari possunt, quorum nempe æther nimium quantum ablutit ab eo Tabaci, qui si usui ejus nimis pertinaciter insisterent, id darent operam, ut in remedio morbos reperirent remedio intolerabiliores. Qui teneros habent pulmones, sanguinem salinum & acrem, & calidum temperamentum, ab eo læduntur. Robustiores autem, temperiei frigidae & humidæ, catarrhosi malorum suorum in eo reperirent solatium, hoc tamen monito: **NE QUID NIMIS.** Accidit enim facile ut continuato usu tandem pulmones lædat, sanguinem nimia acridine inficiat, appetitum omnem deleat, aut si propter  
corpo-

corporis robur horum neutrum fiat, ut, cum remedio olim esse debeat, nihil minus sit, eumq; relinquat, quem, si abusus eo non esset, ex orci faucibus eripere potuisset.

TH. XVII.

Clysmata Tabacina sive ratiocinantium medicorum, sive capnophilorum fumum perditæ amantium, curantiumq;ve, ut inferiori gutturi æq;ve bene proficit, inventum certe Anglorum sunt, quibus constipatam alvum sollicitant, & à colicis doloribus male habentibus intestinis succurrunt, dum nova arte, & recens invento instrumento intestina fumo replent, invento quidem ridiculo & semisordido, non tamen contemnendo, dum duarum fistularum calicum Tabaco accenso repletorum latoria orificia sibi invicem obvertunt, alteram alterius fistulæ extremitatem ano immittunt, illam vero alterius ore recipiunt, insufflandoq;ve fumum ad intestina propellunt. Quo ipso alvus egregiè solvitur, & flatus discutuntur. Eundem fumum in uterum inspiratum in suffocatione, difficili anhelitu, mulierum angustia, syncope viros producere effectus, atq;ve dicto citius, ex excerptis D. Hulse citat *J. Raj. hist. plant. lib. 14. cap. 2.*

TH. XVIII.

Præparantur ex Tabaco succus, syrupus, conservæ, aqua, balsamus, oleum, essentia, magisterium, oxymel, infusa, & contra varios effectus assumentur. Lumbricos fugant, asthmati profunt, per superiora & inferiora purgant, pus ex pectore educunt, in vomitis commendantur. Sed medicamen-

ta sunt duris mesforum iliis labrisve nata, alia tamen aliis magis, & in benigniorum, quæ prostant, medicamentorum apparatu supervacanea, nec facile autor essem, ut ancipitibus & turbulentis Tabaci operationibus se quispiam exponeret. Refert *Dodoneus* tibi à suo & fide digno quidem amico relatum esse, à succiunciis 4. vel 5. pro dosi sumptis quadratirustici, sed hydropici vires concussas, & illum *à suo usq; usq; usq;* purgatum esse, atq; ab eo in gravem somnum incidisse, expergefatum cibum & potum desiderasse, & ab hydrope plenariè curatum fuisse. Similes historiae apud alios prostant plures, sed anceps eventus est, cui meam conscientiam, & ægri vitam vix considerem, nisi in corpore robusto, Tabaco aservo, & casu desperato partitis dosibus rem non aggrederer; licet enim temeritas semel bene ceserit, non tamen ideo debemus fieri audaces.

#### TH. XIX.

Salis volatilis, olei, viscosiqve succi intuitu externum quidem, sed mirabile remedium est. Membra resoluta restituit, dum penetrando obstructions nervorum tollit, & id quidem majori efficacia, quia purgans est, & hinc humores commovet, ut ipsi quoque repagula diffringant, eoq; scopo in œdematosi pedum tumoribus non inefficax est, imo etiam in aliis obstructionibus, duros lienes emollit, podagricos dolores, otalgiam, odontalgiam lenit, cutis vitia, scabiem, tineam, achores corrigit, uteri & ventriculi dolores sopit, vulnera & ulcera inveterata sanat, venenatorum animalium morsibus antitodum est, cristallinam curat. Dummodo id operam det  
Medi-



Medicus, ne in tenellis & Tabaco non asfvetis corporibus sæpe & magnis dofibus, illotis, qvod ajunt, manibus, rem aggrediatur, qvalia enim ex incauto hujus ufû fecuta fiint fympptomata paffim in difsertatione hac videre eft.

TH. XX.

Tabaci fumo ejus pulverem naribus exceptum præfert *S. Pauli de abufu Tabaci*, cujus ufus ferè æquale patet, atque prior, ut vix quempiam videas, qui moratoribus accenferi geftit, qui Tabaci pulvere refertam pyxidem pera fua non circumferat, quo per brevia intervalla nares replet, &, quæ urbanitas eft, aliis eandem porrigat. Sed longius receffum eft à more priffino, ut jam, fi nomen exceperis, hi Tabacini feu ptarmici pulveres retinuerint nihil, pro cujuslibet genio ex variorum miscela modo subtiliffimi modo granulati, blandiores vel acriores parantur, fed de quibus omnibus fere dixeris nihil ab iis expectari poffe, nifi quod ab iis vellicatæ nares fucingentis tunicæ glandulæ copiofiorem plorent mucum, easque obftructas deobftruant, donec propter non intermiſſam vellicationem occalleant, nec illorum fenfu amplius tangantur. Fruſtra enim eft, qui ptarmicos pulveres cerebrum ſubire, aut pituitam ex eo, ejusque ventriculis expurgari credit. Obſtant enim oſtis cribriſormis foramina à nervis, duræque matris filamentis arctius, quam ut pulveres hos admittant, & nobiliori longe uſui deſtinantur ventriculi, quam ut cerebri cloacæ ſint, humorq; aquoſus in glandula pituitaria ſecretus una cum depluente è cerebro lymphæ in duo fellæ turcicæ appoſita receptacula

cula illabatur, & sanguini inibi admistus fellæ turcicæ adjacentium finuum cavitates subit, & internarum jugularium vel vertebraliū venarum cavæq; descendentiū interventu ad dextrum cordis thalamum descendit. Quin potius hi pulveres, præsertim subtiliores cum inspirato aere ad pulmones eunt, eos irritant rodunt, & iis nescio quot non modis nocent. Non vero usque adeo inutiles sunt, ut solo contemptu sint vindicandi; in coryza enim, externarumque partium a decumbente pituita obstructione, morbis soporosis, partuque difficili, cum optime sito licet infante dolores cessant, utilitate sua non carent. At verò in spasms meningum, hæmorrhagiis narium & oculorum vitiis ab acredine oriundis non sine temeritate adhibentur.



J695  
L651d

~~H 12 12~~  
~~12 12~~

R 2471

